

nostra gerant, vel absentibus nobis quasi procuratores aliquid agant: danda erit in eos actio, non solum si eos emerimus; sed etiam si donati fuerint nobis, aut ex dotis [nomine] aut ex legati pertinere ad nos cœperunt, aut ex hereditate, idem præstabunt: nec solum si nostros putaverimus, sed et si communes aut fructuarios; ut tamen, quod adquisituri non essent, si revera communes aut usuarii essent, id hodieque non adquirent. — § 4. Quidquid tamen liber homo vel alienus, quive bona fide nobis servit, non acquirit nobis, id vel sibi liber, vel alienus servus domino suo adquirit; excepto eo, quod vix est ut liber homo possidendo usucapere possit, quia<sup>74</sup> nec possidere intelligitur, qui ipse possideretur: sed nec perservum alienum, quem nos bona fide possidemus, dominus peculiari nomine ignorans usucapere poterit; sicuti ne per fugitivum quidem, quem non possidet.

55. PROCLUS, lib. 2 Epistolarum.

In laqueum quem venandi causa posueras, aper incidit; cum eo hæret, exemptum eum abstuli: num tibi videor tuum aprum abstulisse? et si tuum putas fuisse, si solum eum in sylvam dimissem: eo casu tuus esse desisset, an maneret? et quam actionem tecum haberes, si desisset tuus esse: num in factum dari oporteret [quæro]? Respondit, Laqueum, videamus, ne intersit in publico an in privato posuerim: et si in privato posui, utrum in meo, an alieno: et si in alieno, utrum permissu ejus fundus erat, an non permissu ejus posuerim? præterea, utrum in eo casu ita hæserit aper, ut expedire se non possit ipse, an diutius luctando expediturus se fuerit? Summam tamen hanc puto esse, ut si in meam potestatem pervenit, meus factus sit; sin autem aprum meum ferum in suam naturalem laxitatem dimisisses, eo facto meus esse desisset, et actionem mihi in factum dari oportere: veluti responsum est, cum quidam poculum<sup>75</sup> alterius ex nave ejecisset.

56. Idem, lib. 8 Epistolarum.

Insula est enata in flumine contra frontem<sup>76</sup> agri mei, ita ut nihil excederet longitudo regionem prædii mei: postea aucta est paulatim, et processit contra frontes et superioris vicini, et inferioris. Quæro, quod adcrevit, utrum meum sit, quoniam meo adjunctum est: an ejus juris sit, cujus esset, si initio ea nata ejus longitudinis fuisset? Proculus respondit: Flumen istud, in quo insulam contra frontem agri tui eam natam esse scripsisti, ita ut non excederet longitudinem agri tui, si alluvionis jus habet, et insula initio propior fundo tuo fuit, quam ejus, qui trans flumen habebat: tota tua facta est; et quod postea ei insule alluvione accessit, id tuum est, etiamsi ita accessit, ut procederet insula contra frontes vicinorum superioris atque inferioris: vel etiam ut propior esset fundo ejus, qui trans flumen habet. — § 4. Item quæro, si cum propior ripæ meæ enata est insula, et postea totum flumen fluere inter me, et insulam cœpit, relicto suo alveo, quo major annis fuerat: numquid dubites, quin etiam insula mea maneat, et nihilominus ejus soli, quod flumen reliquit, pars fiat mea? rogo, quid sentias, scribas mihi. Proculus respondit, Si, cum propior fundo tuo initio fuisset insula, flumen, relicto alveo majore, qui inter eam insulam fuerat et eam fundum vicini, qui trans flumen erat, fluere cœpit inter eam insulam et fundum tuum: nihilominus insula tua manet; sed alveus qui fuit inter eam insulam et fundum vicini, medius dividi debet: ita ut pars propior<sup>77</sup> insule tuæ, tua; pars autem propior agro vicini, ejus esse intelligatur; intelligo, ut et cum ex altera parte insule alveus fluminis exaruerit, desisset insulam esse: sed quo facilius res intelligeretur, agrum qui insula fuerat, *insulam* appellant.

57. PAULUS, lib. 6, ad Plautium.

Per servum donatum a marito, nec ex re quidem ejus cui donatus est, acquiri quicquam posse, Julianus scribit: hoc enim in eorum persona concessum est, qui<sup>78</sup> bona fide serviunt.

58. JAVOLENUS, lib. 41, ex Cassio.

Quæcunque res ex mare extracta<sup>79</sup> est, non ante ejus incipit esse, qui extraxit, quam dominus eam pro derelicto habere cœpit.

59. CALISTRATUS, lib. 2 Quæstionum.

Res [ex] mandatu meo empta, non prius<sup>80</sup> mea fiet, quam si mihi tradiderit, qui emit.

60. SCEVOLE, lib. 4 Responsorum.

Titius horreum frumentarium novum, ex tabulis ligneis factum, mo-

74. L. 118, infr. de reg. jur. — 75. L. 14, § 2, supr. de præsc. verb. — 76. Adde L. 50, in pr. supr. h. t. — 77. L. 7, § 5; L. 50, § 1, supr. eod. — 78. L. 1, C. de rei vind. — 79. L. 15, in pr. infr. tit. prox. — 80. Immo vide L. 63, in pr. infr. h. t. — 81. L. 31, in fin. supr. de hered. instit. — 82. L. 52, supr. d. t. — 83. L. 28, infr. de stipul. act. — 84. L. 38, § 3, 4, 5; L. 95, in pr. supr. de legat. 3; L. 1, § 1, supr. de fundo dotat. N. 139; e. 3. — 85. L. 10, in pr. supr. h. t. — 86. L. 45, in fin. supr. eod. — 87. § 3, in fin. infr. h. t.

bile in Seii prædio posuit: quæritur, uter horrei dominus sit? Respondit, secundum quæ proponeretur, non esse factum Seii.

61. HERMOGENIANUS, lib. 7 juris Epitomarum.

Hereditas in multis partibus juris pro<sup>81</sup> domino habetur, adeoque hereditati quoque ut domino per servum hereditarium acquiritur. In his sane in quibus factum personæ operæ substantia desideratur, nihil hereditati quæri per servum potest: ac propterea, quamvis servus<sup>82</sup> hereditarius heres institui possit, tamen, quia adire jubentis domini persona desideratur, heres expectandus est. — § 1. Ususfructus, qui sine<sup>83</sup> persona constitui non potest, hereditati per servum non acquiritur.

62. PAULUS, lib. 2 Manualium.

Quædam quæ non possunt sola alienari, per universitatem<sup>84</sup> transeunt: ut fundus dotalis, ad heredem; et res, cujus aliquis commercium non habet; nam et si legari ei non possit, tamen heres institutus dominus ejus efficitur.

63. TRYPHONINUS, lib. 7 Disputationum.

Si is, qui in aliena<sup>85</sup> potestate est, thesaurum invenerit: in persona ejus cui acquirit, hoc erit dicendum, ut si in alieno agro invenerit, partem ei adquirat; si vero in parentis domine loco invenerit, illius totus sit; [si autem in alieno, pars.] — § 1. Si communis<sup>86</sup> servus in alieno invenerit, utrum pro domini partibus, an semper æquis adquirat? et simile est, atque in hereditate, vel legato, vel quod ab aliis donatum servo traditur: quia et thesaurus donum fortunæ<sup>87</sup> creditur: scilicet ut pars quæ inventori cedit, ad socios, pro qua parte servi quisque dominus est, pertineat. — § 2. Si communis servus in domini unius fundo proprio invenit, de parte, quæ soli domino semper cedit, non est dubium, quin solius domini prædii sit; verum, an aliquid ex parte ferat alter socius, videndum est; et numquid simile sit, atque cum stipulatur servus jussu unius domini, aut per traditionem aliquid accipit vel nominatim<sup>88</sup> alteri? quod magis dici poterit. — § 3. Quod si servus in quo ususfructus alienus est, invenerit in ejus locum, qui servum proprium habet: an totum illius sit? et si in alieno: an partem eidem adquirat, an vero fructuario? Inspecio in illo est, num ex operis servi adquirat. Finge, terram fodientem invenisse: ut hoc dicatur fructuarii esse; quod vero subito in *abditio loco* positum, nihil agens, sed aliter ambulans invenit: proprietatis domini sit. Ego nec illius ad fructuarium pertinere partem arbitror; nemo enim servorum opera thesaurum quærit: nec ea propter tunc terram fodiebat, sed alii rei operam insamebat, et fortuna<sup>89</sup> aliud dedit. Itaque si in ipsius fructuarii agro invenerit, [partem] partem solam, ut agri dominum, habiturum: alteram ad eum, cujus in servo proprietatis est, pertinere. — § 4. Quod si creditor invenerit: in alieno videbitur invenisse; partem<sup>90</sup> itaque sibi, partem debitori præstabit: nec recepta pecunia restituet, quod jure inventoris, non creditoris, ex thesauro apud eum permansit. Quæ cum ita sint, et cum ex principis<sup>91</sup> auctoritate creditor ut proprium agrum tenere cœpit jure domini: intra constitutum luendi tempus, [pignoris causa vertitur; post transactum autem tempus, thesaurum in eo inventum ante solutum pecuniam totum tenebit: obtato vero intra constitutum tempus debito], quoniam universa præstantur, atque in simplici petitorio revocantur, restitui debebit, sed pro parte sola; quia dimidium inventori semper placet relinquere.

64. QUINTUS MUCIUS SCAEVOLA, libro singulari Opov.

Quæ quisque aliena<sup>92</sup> in censum deducit, nihilo magis ejus fiunt.

65. LABEO, lib. 6 Pitheon a Paulo epitomatorum.

Si epistolam tibi misero: non erit ea tua, antequam tibi reddita fuerit. Paulus: Imo contra<sup>93</sup>; nam si miseris ad me tabellarium tuum, et ego rescribendi causa literas tibi misero: simul atque tabellario tuo tradidero, tuæ fiet. Idem accidit in his literis, quas tuæ duntaxat rei gratia misero; veluti, si petieris a me, *ut te alicui commendarem*, et eas commendatitias tibi misero literas. — § 1. Si qua *insula* in flumine propria tua est, nihil in ea publici est. Paulus: Imo in eo genere insularum ripæ flumini, et litora mari proxima publica<sup>94</sup> sunt, non secus atque in *continenti agro* idem juris est. — § 2. Si qua insula in flumine publico proxima tuo fundo nata est: ea tua est. Paulus: Videamus, ne hoc falsum sit de ea insula, quæ non ipsi alveo fluminis coheret, sed virgulis, aut alia qualibet levi materia ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat, atque ipsa movetur: hæc enim propemodum publica, atque ipsius fluminis est insula. — § 3. Paulus: Si insula in flumine nata tua fuerit, deinde

L. un. post princ. C. de thesaur. — 88. L. 37, § 3, supr. h. t. — 89. § 1, in fin. supr. h. t. — 90. L. un. circa fin. C. de thesaur.; § 59, vers. at si quis in alieno, Inst. de rer. divis. — 91. L. 2, ult. C. de jure domini, impetr. — 92. L. 4, § 4, infr. de censib.; L. 4, L. 7, C. de donat.; L. 8, C. de act. empt. — 93. Immo vide L. 59, supr. h. t. — 94. L. 5, in pr. infr. ne quid in loco publ.; h. 96, in pr.; L. 112, infr. de verb. sign.; § 5, Inst. de rer. div.

inter eam insulam et contrariam ripam alia insula nata fuerit: mensura eo nomine erit instruenda a tua insula, non ab agro tuo, propter quem ea insula tua facta fuerit; nam quid interest, qualis ager sit, cujus propter propinquitatem posterior insula, cujus sit, quærat? — § 4. Labeo libro eodem: Si id quod in publico innatum aut ædificatum est, publicum est, insula quoque, quæ in flumine publico nata est, publica esse debet<sup>95</sup>.

66. VENTURIUS, lib. 6 Interdictorum.

Cum prægnans mulier legata, aut usucapta, aliove quo modo alienata pariat: ejus<sup>96</sup> fiet partus, cujus est ea cui emeretur; non cujus tunc fuisset, cum conciperet.

## TIT. II.

### DE ADQUIRENDA, VEL AMITTENDA POSSESSIONE.

1. PAULUS, lib. 54, ad Edictum.

Possessio appellata est (ut et Labeo ait) a sedibus, quasi positio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insisit: quam Græci *κατοχή* dicunt. — § 1. Dominiumque rerum ex naturali possessione cœpisse Nerva filius ait: ejusque rei vestigium remanere de his<sup>97</sup>, quæ terra, mari, cœloque capiuntur; nam hæc protinus eorum fiunt, qui primi possessionem eorum apprehenderint. Item bello<sup>98</sup> capta, et insula<sup>99</sup> in mari enata et gemmæ<sup>100</sup>, lapilli, margaritæ in litioribus inventæ, ejus fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est.

§ 2. Apiscimur autem possessionem per nosmetipsos. — § 3. *Furiosus*<sup>101</sup> et *pupillus*<sup>102</sup> sine tutoris auctoritate non potest incipere possidere: quia affectionem tenendi non habent, licet maxime corpore suo rem contingant; sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat. Sed pupillus tutore auctore incipit possidere. Oñius quidem et Nerva filius, etiam sine tutoris auctoritate possidere incipere posse pupillum aiunt: eam enim rem facti, non<sup>103</sup> juris esse: quæ sententia recipi poterit, si<sup>104</sup> ejus<sup>105</sup> ætatis sint, ut intellectum<sup>106</sup> capiunt. — § 4. Si vir uxori cedit possessionem<sup>107</sup>, donationis causa, plerique putant possidere eam; quoniam res facti<sup>108</sup> infirmari jure civili non potest; et quid attinet dicere, non possidere mulierem, cum maritus, ubi noluit possidere, protinus amiserit possessionem? — § 5. Item adquirimus possessionem per servum<sup>109</sup>, aut filium<sup>110</sup>, qui in potestate est, et quidem eorum rerum, quas peculiariter tenent, etiam ignorans, sicut Sabino, et Cassio, et Juliano placuit, quia nostra voluntate intelligantur possidere, qui eis peculium habere permiserimus. Igitur ex causa peculiari et infans et furiosus<sup>111</sup> adquirunt possessionem, et usucipiunt: et heres, si hereditarius servus emat. — § 6. Sed et per eum quem bona<sup>112</sup> fide possidemus, quamvis alienus sit, vel liber, possessionem adquirimus. Quod si mala<sup>113</sup> fide eum possideamus, non puto adquiri nobis possessionem per eum. Sed nec vero domino, aut sibi acquirit, qui<sup>114</sup> ab alio possidetur. — § 7. Per communem, sicut per proprium, adquirimus etiam singuli in solidum, si hoc agat servus, ut<sup>115</sup> unum adquirat: sicut in dominio adquirendo. — § 8. Per eum in quo usumfructum habemus, possidere possumus, sicut ex operis suis acquirere nobis solet: nec ad rem pertinet, quod ipsum non possidemus; nam nec filium. — § 9. Cæterum et ille, per quem volumus possidere, talis esse debet, ut habeat intellectum<sup>116</sup> possidendi. — § 10. Et ideo si furiosus servum miseris, ut possideas, nequaquam<sup>117</sup> videris adprehendisse possessionem. — § 11. Quod si impuberem miseris ad possidendum, incipies possidere: sicut pupillus<sup>118</sup>, maxime tutore auctore, acquirit possessionem. — § 12. Nam per ancillam, quin possis nasci possessionem, non dubitatur. — § 13. Pupillus per servum sive puberem, sive impuberem, acquirit possessionem, si tutore auctore jusserit eum ire in possessionem. — § 14. Per servum, qui in fuga<sup>119</sup> sit, nihil posse nos possidere Nerva filius ait: licet respondeatur, quamdiu ab alio non possidetur, a nobis eum possideri; ideoque interim etiam usucapi. Sed utilitatis causa receptum est, ut impleatur usucapio<sup>120</sup>, quamdiu nemo nactus sit ejus possessionem. Possessionem autem per eum adquiri, sicut per eos quos in provincia ha-

95. Immo vide L. 7, § 3, supr. h. t. — 96. L. 12, C. de rei vind. — 97. Tit. II. — 4. Lib. 7, C. 35. — 2. L. 1, § 1, supr. tit. prox. — 3. L. 5, in fin. supr. d. t. — 4. L. 7, § 5, supr. d. t. — 5. § 18, Inst. de rer. divis. — 6. L. 18, § 1, infr. h. t. vide tamen § 5, in fin. infr. h. t. — 7. L. 59, infr. h. t. — 8. Immo vide L. 49, in pr. et § 1, infr. eod. — 9. Immo vide L. 5, C. eod. — 10. L. 53, in fin. infr. eod.; L. 4, § 2, infr. de usurp. et usucap. — 11. Adde § 9, infr. h. t. — 12. L. 46, supr. de donat. inter vir. et uxor. — 13. L. 12, § 2, infr. de captiv. — 14. L. 49, in pr. infr. h. t. — 15. L. 4, infr. eod. — 16. Immo vide § 20, infr. h. t.; L. 18, § 1, infr. eod. — 17. L. 25, supr. tit. prox. — 18. D. L. 25, § 1; L. 54, infr. de stipul. serv. — 19. L. 118, infr. de reg. jur. — 20. L. 5, infr. de stipul. servor. — 21. § 3, in fin. supr. h. t. — 22. Vide tamen § 5, in fin. supr. h. t. — 23. L. 52, § ult. infr. h. t. — 24. L. 50, § 1, infr. eod.; L. 25, in fin. supr. de liberali caus.; L. 25, § 1, infr. de usurp. et usucap.; L. 7,

benus, Cassii et Juliani sententia est. — § 15. Per servum corporaliter<sup>126</sup> pignori datum, non acquirere nos possessionem Julianus ait: ad unam enim tantum causam videri eum a debitore possideri; ad<sup>127</sup> usucapionem; nec creditori: quia nec stipulatione, nec ullo alio modo per eum acquirit, quamvis eum possideat<sup>128</sup>. — § 16. Veteres putaverunt, non posse nos per servum hereditarium acquirere, quod si<sup>129</sup> ejusdem hereditatis. Itaque agitur, num hæc regula longius producenda sit: ut si plures servi legati sint, per unum an possint cæteri possideri? Idem tractatus est, si pariter empti vel donati sunt? Sed verius est, ex his causis posse me per unum<sup>130</sup> reliquorum acquirere possessionem. — § 17. Si ex parte heredi instituto servus legatus sit: propter partem, quam ex causa legati habet, adquirit fundi hereditarii possessionem. — § 18. Idem dicendum est, si servum communem jussero adire hereditatem: quia propter partem meam adiro. — § 19. Hæc quæ de servis diximus, ita se habent, si et ipsi velint nobis acquirere possessionem. Nam si juveas servum tuum possidere, et is eo animo intret in possessionem, ut nolit tibi, sed potius Titio acquirere: non est tibi adquisita possessio. — § 20. Per procuratorem<sup>131</sup>, tutorem, curatoremve possessio nobis acquiritur; cum autem suo nomine nacti fuerint possessionem, non cum ea mente, ut operam duntaxat suam accommodarent; nobis non possunt acquirere<sup>132</sup>. Alioquin, si dicamus, per eos non acquiri nobis possessionem, qui nostro nomine accipiunt; futurum, ut neque is possideat, cui res tradita sit, quia non habeat animum possidentis; neque is qui tradiderit, quoniam cesserit possessionem. — § 21. Si jussim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in præsentia sit: videri mihi traditam Priscus ait; idemque esse, si nummos debitorem jussim alii dare: *Non enim corpore et actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam<sup>133</sup> oculis et affectu*; et argumento esse eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas: nam pro traditis [eas] haberi, si in re præsentia consenserint; et vina tradita videri, cum claves<sup>134</sup> cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint. — § 22. Municipales per se nihil possidere possunt, quia uni consentire non possunt. Forum autem et basilicam, hisque similia non possident: sed promiscue illi untur. Sed Nerva filius ait, per<sup>135</sup> servum, quæ peculiariter adquisierint, et possidere et usucapere posse; sed quidam contra putant: quoniam ipsos servos non possideant.

2. ULPIANUS, lib. 70, ad Edictum.

Sed hoc jure utimur, ut et possidere, et usucapere<sup>136</sup> municipales possint: idque eis et per servum, et per liberam personam adquiratur.

3. PAULUS, lib. 54, ad Edictum.

Possideri autem possunt, quæ sunt corporalia<sup>137</sup>. — § 1. Et apiscimur possessionem corpore, et animo<sup>138</sup>; neque per se animo, aut per se corpore. Quod autem diximus, et *corpore, et animo acquirere nos debere possessionem*, non utique ita accipiendum est, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet: sed sufficit quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente et cogitatione [hac] sit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere. — § 2. Incertam partem rei possidere nemo potest<sup>139</sup>, veluti si hac mente sis, ut quidquid Titius possidet, tu quoque velis possidere. — § 3. Neratius et Proculus, [et] solo animo non posse nos acquirere possessionem, si non antecedit naturalis possessio. Ideoque si thesaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simul atque possidendi affectum habuero: quia, quod desit naturali possessioni, id animus implet. Cæterum quod Brutus et Manilius putant, eum, qui fundum longa possessione cepit, etiam thesaurum cepisse, quamvis nesciat in fundo esse: non est verum; is enim, qui nescit, non possidet thesaurum, quamvis fundum possideat: sed et si sciat, non capiet longa possessione; quia scit alienum esse. Quidam putant, Sabini sententiam veriorem esse: nec alias eum qui scit, possidere, nisi si loco motus sit; quia non sit sub custodia nostra; quibus consentio. — § 4. Ex plurimis causis possidere eandem rem possumus<sup>140</sup>, ut quidam putant<sup>141</sup>: et eum qui usuceperit, et pro emptore, et pro suo possidere; sic enim et si ei qui pro emptore possidebat, heres sim, eandem rem, et pro emptore, et pro herede possideo: nec enim, sicut dominium non<sup>142</sup> potest nisi ex una causa contingere, ita et possidere ex una duntaxat causa possumus.

in pr. infr. pro emptore. — 25. L. 21, supr. de rei vind. — 26. L. 57, in pr. supr. tit. prox. — 27. L. 16, infr. de usurp. et usucap. — 28. L. 22, § 1, supr. de noxal. act. — 29. L. 45, supr. de acquir. vel amit. hered.; L. 18, supr. tit. prox. — 30. L. 48, infr. h. t. — 31. § 5, Inst. per quas person. cuique. — 32. Vide tamen L. 15, supr. de donat. — 33. L. 18, § 2, infr. h. t.; L. 79, infr. de solution. — 34. L. 74, supr. de contrah. empt.; L. 9, § 6, supr. tit. prox.; § 45, Inst. de rer. divis. — 35. L. un. § 1, supr. de libert. univers. — 36. L. 7, § 3, supr. ad exhib. — 37. L. 4, § 27, infr. de usurp. et usucap. — 38. § 3, infr. h. t.; L. 39, L. 52, in fin. infr. de usurp. et usucap. — 39. L. 40, supr. de contrah. empt. — 41. L. 45, § 7, supr. famil. ercisc. — 42. L. 14, § 2, in fin. infr. de except. rei judic.; L. 159, infr. de reg. jur.; § 10, Inst. de legat.; § 14, Inst. de action.

§ 5. Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt<sup>45</sup>. Contra naturam quippe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris. Sabinus tamen scribit, eum qui precario dederit, et ipsum possidere, et eum qui precario acceperit<sup>44</sup>. Idem Trebatius probabat existimans, posse alium iuste, alium injuste possidere: duos injuste, vel duos iuste non posse; quem Labeo reprehendit: quoniam in summa possessionis non multum interest, iuste quis, an injuste possideat; quod est verius: non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto; vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris. — § 6. In amittenda quoque possessione affectio eius, qui possidet, intuenda est. Itaque si in fundo sis, et tamen nolis eum possidere: protinus amittes possessionem. Igitur amitti et animo solo<sup>45</sup> potest, quamvis adquiri non potest. — § 7. Sed et si animo solo possideas, licet<sup>46</sup> alius in fundo sit, adhuc tamen possides. — § 8. Si quis nunciat, domum a latronibus occupatam, et dominus timore conterritus, noluerit<sup>47</sup> accedere: amisisse eum possessionem placet. Quod si servus vel colonus, per quos corpore possidebam, decesserint [discesserintve]: animo retinebo possessionem. — § 9. Et si alii tradiderim, amitto possessionem. Nam constat possidere nos donec aut nostra voluntate discesserimus, aut vi dejecti fuerimus. — § 10. Si servus, quem possidebam, pro libero se gerat, ut fecit Spartacus, et iudicium liberale pati paratus sit: non videbitur a domino possideri, cui se adversarium preparat; sed hoc ita verum est, si diu in libertate moratur: alioquin si ex possessione servitutis in libertatem reclamaverit, et liberale iudicium imploraverit, nihilominus in possessione mea est<sup>48</sup>, et animo eum possideo, donec liber fuerit pronuntiatus. — § 11. Saltus<sup>49</sup> hybernos aestivosque animo possidemus, quamvis certis temporibus eos relinquamus. — § 12. Ceterum animo nostro, corpore etiam alieno possidemus: sicut diximus<sup>50</sup> per colonum et servum. Nec movere nos debet, quod quasdam [res] etiam ignorantes possidemus, id est, quas servi peculiariter paraverunt: nam videmur eas eorumdem et animo et corpore possidere. — § 13. Nerva filius, res mobiles<sup>51</sup>, excepto homine, quatenus<sup>52</sup> sub custodia nostra sint, hactenus possideri: id est, quatenus, [si] velimus, naturalem possessionem nancisci [possimus]. Nam pecus simul atque abe-raverit, aut vas ita exciderit ut non inveniatur, protinus desinere a nobis possideri, licet a nullo possideatur; dissimiliter atque si sub custodia mea sit, nec inveniatur: quia presentia eius sit, et tantum cessat interim diligens inquisitio.

§ 14. Item feras bestias, quas vivariis incluserimus, et pisces, quos in piscinas coniecerimus, a nobis possideri. Sed eos pisces, qui in stagno sint, aut feras, quae in sylvis circumseptis vagantur, a nobis non possideri: quoniam relictae sint in libertate naturali; alioquin, etiam si quis sylvam emerit, videri eum omnes feras possidere: quod falsum est. — § 15. Aves autem possidemus, quas inclusas habemus, aut si quae mansuetae factae, custodiae nostrae subjectae sunt. — § 16. Quidam recte putant, columbas quoque, quae ab aedificiis nostris [volant], item apes, quae ex alveis nostris evolvant, et secundum consuetudinem redeunt<sup>53</sup>, et a nobis possideri. — § 17. Labeo et Nerva filius responderunt, desinere me possidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit<sup>54</sup>. — § 18. Si rem apud te depositam, furti faciendi causa contractaveris, desino possidere; sed si eam loco non moveris, et inficiandi animum habeas, plerique veterum, et Sabinus et Cassius recte responderunt, possessorem me manere: quia furtum sine contractatione<sup>55</sup> fieri non potest, nec animo furum admittatur. — § 19. Illud quoque a veteribus praecipuum est, neminem<sup>56</sup> sibi ipsum causam possessionis mutare posse. — § 20. Sed si is qui apud me deposuit vel commodavit, eam<sup>57</sup> rem venderit mihi vel donaverit: non videbor causam possessionis mihi mutare, qui ne possidebam quidem. — § 21. Genera possessionum tot sunt, quot et causae adquirendi eius, quod nostrum non sit: velut pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro noxae delicto, pro suo; sicut in his, quae terra, marique, vel ex hostibus capimus, vel quae ipsi, ut in rerum natura essent, fecimus. Et in summa magis unum genus est possidendi, species infinitae. — § 22. Vel etiam potest dividi possessionis genus in duas species, ut possideatur aut bona fide, aut non bona fide. — § 23. Quod autem Quintus Mucius inter genera possessionum posuit, si

43. L. 5, § ult. supr. commodati; L. 19, in pr. infr. de precario. immo vide L. 15, § 18, supr. de damno infecto; L. 3, in pr. infr. uti possid. L. 15, § 4, infr. de precario. — 44. L. 4, § 1; L. 15, § 4, infr. d. t. — 45. L. 44, in fin. infr. h. t. obiit. L. 3, infr. eod. — 46. L. 6, in fin.; L. 23, in fin. infr. h. t. — 47. L. 7, infr. eod. vide tamen L. 4, C. eod. — 48. L. 21, § 3, supr. de usufr. — 49. L. 44, in fin.; L. 45, L. 46, infr. h. t.; L. 2, § 5, infr. de vi et vi armat. — 50. § 8, supr. h. t.; § 5, inst. de interdict. — 51. L. 47, infr. h. t. — 52. § 3, supr. h. t. — 53. L. 5, § 5, supr. de acquir. rer. domin. — 54. L. 50, § 3, infr. h. t. — 55. L. 1, § 2; L. 21, § 7; L. 22, in pr.; L. 55, § 19, infr. de furti; L. 55, in fin. infr. de verb. sign.; § 14, vers. ope. inst. de oblig. que ex delict. — 56. L. 5, C. h. t.; L. 55, § 1, infr. de usurp. et usucap.; L. 6, § 3, infr. de precar. — 57. L. 62, in pr. supr. de evict. — 58. L. 10, § 1, infr. h. t.; L. 12, infr. quib. et caus. in poss.; L. 9, in fin. supr. de rei vind. — 59. L. 5, in pr. supr. ut in possess.

quando jussu magistratus rei servanda<sup>58</sup> causa, vel quia damni infecti non caveatur [mitti], possidemus, ineptissimum est: nam qui creditorem rei servanda causa, vel quia damni infecti non caveatur, mittit in possessionem, vel ventris nomine: non possessionem, sed custodiam<sup>59</sup> rerum et observationem concedit; et ideo cum damni infecti non cavente vicino, in possessionem missi sumus, si id longo tempore fiat, etiam possidere nobis, et per longam possessionem capere praetor causa cognita permittit.

4. ULPIANUS, lib. 67, ad Edictum.

Quidquid filius peculiari<sup>60</sup> nomine apprehenderit, id statim pater ejus possidet, quamvis ignoret in sua potestate filium. Amplius, etiam si filius ab alio tanquam servus possideatur, idem erit probandum.

5. PAULUS, lib. 63, ad Edictum.

Si ex stipulatione tibi Stichum debeam, et non tradam eum, tu autem<sup>61</sup> nactus fueris possessionem: praedo es. Aequae si vendidero, nec tradidero rem, si non voluntate mea nactus sis possessionem: non pro emptore possides, sed praedo es.

6. ULPIANUS, lib. 70, ad Edictum.

Clam possidere eum dicimus, qui furtive ingressus est possessionem, ignorante eo, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, et ne faceret timebat. Is autem, qui cum possideret non clam, se celavit<sup>62</sup>, in ea causa est, ut non videatur clam possidere; non enim ratio obtinenda possessionis, sed origo nanciscendae exquirenda est: nec quemquam clam possidere incipere, qui sciente aut volente eo, ad quem ea res pertinet, aut aliqua ratione bonae fidei possessionem nanciscitur. Itaque, inquit Pomponius, clam nanciscitur possessionem, qui futuram controversiam metuens, ignorante eo, quem metuit, furtive [in] possessionem ingreditur. — § 1. Qui ad nundinas profectus, neminem reliquerit, et dum<sup>63</sup> ille a nundinis redit, aliquis occupaverit possessionem, videri eum clam possidere, Labeo scribit. Retinet ergo possessionem is qui ad nundinas abiit. Verum si revertentem dominum non<sup>64</sup> admisserit, vi magis intelligi possidere, non clam.

7. PAULUS, lib. 84, ad Edictum.

Et si nolit in fundum reverti, quod<sup>65</sup> vim majorem vereatur, amisisse possessionem videbitur: et ita Neratius quoque scribit.

8. IDEM, lib. 68, ad Edictum.

Quemadmodum nulla possessio adquiri, nisi<sup>66</sup> animo et corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque<sup>67</sup> in contrarium actum est.

9. GAIUS, lib. 28, ad Edictum provinciale.

Generaliter quisquis omnino nostro nomine sit in possessione, veluti procurator<sup>68</sup>, hospes, amicus<sup>69</sup>: nos possidere videmur.

10. ULPIANUS, lib. 69, ad Edictum.

Si quis ante conduxit, postea precario rogavit, videbitur discessisse a conductione; quod si ante rogavit, postea conduxit, conduxisse videbitur; potius enim hoc procedere videtur, quod novissime factum est; et hoc Pomponius ait. — § 1. Idem Pomponius bellissime tentat dicere, nunquid qui conduxerit quidem praedium, precario autem rogavit, non ut possideret, sed ut in possessione esset? est autem longe diversum; aliud est enim possidere, longe aliud in possessione esse: denique rei<sup>70</sup> servanda causa, legatorum, damni infecti, non possident, sed sunt in possessione custodiae causa; quod si factum est, utrumque procedit. — § 2. Si quis et conduxerit, et rogaverit precario, uti possideret: si quidem nummo uno conduxit, nulla dubitatio est, quin ei precarium solum teneat: quia conductio<sup>71</sup> nulla est, quae est in uno nummo; sin vero<sup>72</sup> pretio, tunc distinguendum quid prius factum est.

11. PAULUS, lib. 68, ad Edictum.

Iuste possidet<sup>73</sup>, qui auctore praetore possidet.

12. ULPIANUS, lib. 70, ad Edictum.

Naturaliter<sup>74</sup> videtur possidere is qui usumfructum habet. — § 1. Nihil<sup>75</sup> commune habet proprietatis cum possessione: et ideo non denegatur ei interdictum uti possidetis, qui cepit<sup>76</sup> rem vindicare; non enim videtur possessioni renunciasset, qui rem vindicavit.

legat.; L. 15, § 20, supr. de damno infecto. — 60. L. 1, § 5, supr. h. t. — 61. L. 7, L. 9, C. eod. — 62. L. 40, § 2, infr. eod. — 63. L. 3, § 7, supr.; L. 3, L. 35, in fin.; L. 46, infr. eod. — 64. L. 3, § 14, infr. de vi et vi armat. — 65. L. 5, § 8, supr. h. t. — 66. L. 3, § 1; L. 44, in fin. infr. eod.; L. 153, infr. de reg. jur.; § 5, in fin. inst. de interdict. — 67. L. 35, infr. de reg. jur.; immo vide L. 3, § 6, supr.; L. 44, in fin. infr. h. t. — 68. L. 50, in fin. supr. tit. prox. — 69. Adde L. 3, § 12, supr.; L. 15, § 1, infr. h. t.; § 8, inst. de interdict. — 70. L. 3, § ult. supr. h. t. — 71. L. 46, supr. locati. — 72. L. 9, in pr. supr. d. t. — 73. Adde L. 14, § 1, supr. de religio.; L. 157, infr. de reg. jur. — 74. L. 49, in pr. infr. h. t. — 75. L. 34, in pr. infr. eod.; L. 1, § 2, infr. uti possidetis; immo vide L. 8, C. h. t. — 76. L. 18, § 1, infr. de vi et vi armat.

13. IDEM, [lib.] 72, ad Edictum.

Pomponius refert, cum lapides in Tiberim demersi essent naufragio<sup>77</sup>, et post tempus extracti: an dominium in integro fuit per id tempus, quo erant mersi? Ego dominium me retinere puto, possessionem non puto. Nec est simile fugitivo<sup>78</sup>: namque fugitivus idcirco a nobis possideri videtur, ne ipse<sup>79</sup> nos privet possessione: at in lapidibus diversum est. — § 1. Cum quis utitur adminiculo ex persona auctoris: uti debet cum sua causa, suisque<sup>80</sup> vitis; denique addimus in accessione de vi, et clam, et precario venditoris. — § 2. Praeterea quaeritur, si quis hominem venditori redhibuerit; an accessione uti possit ex persona ejus? et sunt, qui putent, non posse: quia venditionis est resolutio, redhibito; alii, emptorem<sup>81</sup> venditoris accessione usurum, et venditorem<sup>82</sup> emptoris: quod magis probandum puto. — § 3. Si liber homo vel alienus servus, cum bona fide servirent, comparaverint, et alii adquisierint possessionem: neque liberum, neque servi dominum, debere uti accessione. — § 4. Quaesitum est, si heres prae non pederat, an testatoris possessio ei accedat? Et quidem in emptoribus possessio interruptitur, sed non idem in heredibus plerique probant: quoniam plenus est jus successionis, quam emptio; sed subtilius est, quod in emptore, et in heredem<sup>83</sup> id quoque probari. — § 5. Non autem ea tantum possessio testatoris heredi procedit, quae morti fuit iniuncta: verum ea quoque, quae unquam testatoris fuerit. — § 6. In dote quoque, si data res fuerit, vel ex dote recepta: accessio<sup>84</sup> dabitur, vel marito, vel uxori. — § 7. Si is, qui precario concessit, accessione velit uti ex persona ejus cui concessit: an possit, quaeritur? Ego puto, eum qui precario concessit, quamdiu manet precarium, accessione uti non posse: si tamen receperit possessionem rupto precario, dicendum esse, accedere possessionem ejus temporis, quo precario possidebatur. — § 8. Ex facto quaeritur, si quis manumissus, ex causa peculiari habeat rem, non concessio sibi peculio: deinde dominus velit, retracta possessione, accessione uti, an possit? et placuit, non esse dandam banc accessionem, quae<sup>85</sup> clam habita est praedone possidente. — § 9. Si iussu iudicis res mihi restituta sit, accessionem esse mihi dandam placuit. — § 10. Sed et legatario<sup>86</sup> dandam accessionem ejus temporis, quo fuit apud testatorem, sciendum est. An heredis possessio ei accedat, videamus? Et puto, sive pure, sive sub conditione, fuerit relicta, dicendum esse, id temporis, quo heres possedit ante existentem conditionem vel restitutionem rei, legatario proficere. Testatoris autem semper proderit legatario, si legatum vere fuit vel fideicommissum. — § 11. Sed et is, cui res donata est, accessione utetur ex persona ejus, qui donavit. — § 12. Accessiones in eorum persona locum habent, qui habent<sup>87</sup> propriam possessionem: ceterum accessio nemini proficit, nisi ei qui ipse possidet. — § 13. Praeterea ne vitiosa<sup>88</sup> quidem possessioni ulla potest accedere: sed nec vitiosa ei quae vitiosa non est.

14. PAULUS, lib. 68, ad Edictum.

Si servus vel filiusfamilias venderit, dabitur accessio ejus, quod penes me fuit: scilicet si volente me, aut de peculio, cujus liberam peculii administrationem habuerunt, venderunt. — § 1. Tutore quoque vel curatore vendente, dabitur<sup>89</sup> accessio ejus temporis, quo pupillus vel furiosus possedit.

15. GAIUS, lib. 26, ad Edictum provinciale.

Rem<sup>90</sup> quae nobis subrepta est, perinde intelligimus desinere possidere, atque eam, quae vi nobis erepta est. Sed si is<sup>91</sup>, qui in potestate nostra est, subriperit, quamdiu apud ipsum sit res, tamdiu non amittimus possessionem: quia per hujusmodi personas acquiritur nobis possessio; et haec ratio est, quare videamur fugitivum possidere<sup>92</sup>: quod is, quemadmodum aliarum rerum possessionem intervertere<sup>93</sup> non potest, ita ne suam quidem potest.

16. ULPIANUS, lib. 73, ad Edictum.

Quod uxor viro aut vir uxori donavit<sup>94</sup>, pro possessore possidetur.

17. IDEM, lib. 76, ad Edictum.

Si quis vi de possessione dejectus sit, perinde haberi debet, ac si possideret: cum interdicto de vi recipiendae possessionis facultatem habeat. — § 1. Differentia inter dominium et possessionem haec est, quod dominium nihilominus ejus manet, qui dominus esse non vult; possessio au-

77. L. 21, § 1 et 2, infr. h. t.; L. 58, supr. tit. prox. — 78. L. 1, § 14, supr. h. t. — 79. L. 16, § 4, supr. de publican. — 80. Arg. L. 20, infr. de reg. jur. — 81. L. 6, infr. de divers. temporal. praescript. — 82. L. 19, infr. de usurp. et usucap. — 83. L. 29, infr. d. t. — 84. L. 7, § 3, supr. de iur. dot. — 85. § 1, supr. h. t. — 86. L. 14, in fin. infr. de usurp. et usucap. — 87. L. ult. infr. de divers. temporal. praescript. — 88. § 1, supr. h. t. — 89. Excep. L. 7, § 3, infr. pro emptore. — 90. L. 5, § 3, infr. de usurp. et usucap. — 91. L. 40, in pr. infr. h. t. — 92. L. 17, § 1, infr. de furti. — 93. L. 55, § ult. infr. de usurp. et usucap. — 94. L. 1, § 4, supr. h. t.; L. 1, in fin. infr. pro donato; L. 13, § 1, supr. de hered. petit. — 95. L. 50, § 4; L. 44, in fin. infr. h. t. — 96. L. 3, § 29, supr. eod. — 97. L. 15, § 17, supr. de hered. petit.; L. 15, supr.

tem recedit, ut<sup>95</sup> quisque constituit nolle possidere. Si quis igitur ea mente possessionem tradidit, ut postea ei restitueretur, desinit possidere.

18. CAELIUS, lib. 23 Digestorum.

Quod meo nomine possideo, possum alieno nomine possidere: nec<sup>96</sup> enim mutuo mihi causam possessionis, sed desino possidere, et alium possessorem ministerio meo facio; nec idem est, possidere, et alieno nomine possidere. Nam possidet, cujus nomine possidetur. Procurator alienae possessioni praestat ministerium<sup>97</sup>. — § 1. Si furiosus<sup>98</sup>, quem sua mentis esse existimas, eo quod forte in conspectu inumbrate quietis fuit constitutus, rem tradideris: licet ille non erit adeptus possessionem, tu possidere desinis; sufficit quippe dimittere possessionem, etiam si non transferas. Illud enim ridiculum est, dicere, quod non aliter vult quis dimittere, quam si transferat: imo vult dimittere, quia existimat se transferre. — § 2. Si venditorem, quod emerim, deponere<sup>99</sup> in mea domo jusserim: possidere me certum est, quamquam id nemo dum attigerit; aut si vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonstrat<sup>100</sup>, vacuamque se possessionem tradere dicat: non minus possidere cepti, quam si pedem finibus intulisset. — § 3. Si dum in alia parte fundi sum, alius quis clam animo possessoris intraverit<sup>1</sup>: non desisse illico possidere existimandus sum, facile expulsurus finibus simul [atque] sciero. — § 4. Rursus si cum magna vi ingressus est exercitus, eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.

19. MARCELLUS, [lib.] 17 Digestorum.

Qui bona fide alienum fundum emit, eundem a domino conduxit<sup>2</sup>: quaero, utrum desinat possidere, an non? Respondi: In promptu est, ut possidere desierit. — § 1. Quod scriptum est<sup>3</sup> apud veteres, *neminem sibi causam possessionis posse mutare*, credibile est, de eo cogitatum, qui et corpore et animo possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex causa id possideret: non si quis dimissa possessione prima, ejusdem rei denuo ex alia causa possessionem nancisci velit.

20. IDEM, lib. 19 Digestorum.

Si quis rem, quam utendam dederat, venderit, emptorique tradi jussit, nec ille tradiderit<sup>4</sup>: alias videbitur possessione dominum intervertisse, alias contra. Nam nec tunc quidem semper dominus amittit possessionem, cum repositi ei commodatum non redditor: quid enim, si alia quaequam fuit iusta et rationabilis causa<sup>5</sup> non reddendi, non utique ut possessionem ejus interverteret?

21. JAVOLENUS, lib. 7, ex Cassio.

Interdum<sup>6</sup> ejus possessionem, cujus ipsi non habemus, alii tradere possumus: veluti cum is qui pro herede rem possidebat, antequam dominus fieret, precario<sup>7</sup> ab herede eam rogavit. — § 1. Quod ex naufragio<sup>8</sup> expulsum est, usucapi non potest: quoniam non est in derelicto, sed in deperdito. — § 2. Idem juris esse existimo in his rebus quae jactae<sup>9</sup> sunt: quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est. — § 3. Qui alienam rem precario rogavit, si eandem a domino conduxit<sup>10</sup>: possessio ad dominum revertitur.

22. IDEM, lib. 13, ex Cassio.

Non<sup>11</sup> videtur possessionem adeptus is, qui ita nactus est ut eam retinere non possit.

23. IDEM, lib. 1 Epistolaram.

Cum heredes instituti sumus, adita hereditate, omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen nisi<sup>12</sup> naturaliter comprehensa ad nos non pertinet<sup>13</sup>. — § 1. In his, qui in hostium potestatem pervenerunt, [in] retinendo jura rerum suarum singulare jus est; corporaliter tamen possessionem amittunt; neque enim possunt videri aliquid possidere, cum ipsi ab alio possideantur: sequitur ergo, ut reversis his nova<sup>14</sup> possessio opus sit, etiam si nemo medio tempore res eorum possederit. — § 2. Item quaero, si vinxero liberum hominem, ita ut eum possideam: an omniaque is possidebat, ego possideam per illum? Respondi, Si vinxeris hominem liberum, eum te possidere non puto: quod cum ita se habeat, multo minus per illum res ejus a te possidebuntur: neque enim rerum

de conit. precar. — 98. L. 1, § 5, supr. h. t. — 99. L. 79, infr. de solution. — 100. L. 1, § 21, supr.; L. 51, infr. h. t. — 1. L. 6, in fin. supr. eod. — 2. L. 37, infr. eod. — 3. L. 3, § 19, supr. eod. — 4. Adde L. 12, infr. de vi et vi armat. — 5. d. L. 12, in fin.; L. 15, in fin. infr. de furti; L. 18, § 2, et ult. supr. commodati. — 6. Immo vide L. 20, in pr. supr. de acquir. rer. domin. — 7. L. 1, infr. de precar. — 8. L. 44, vers. idem ait supr. tit. prox. — 9. L. 3, supr. de leg. Rhodia. — 10. L. 37, infr. h. t. — 11. L. 5, in pr. supr. de act. empt. — 12. L. 30, § 5, infr. h. t. — 13. Immo vide L. 50, in pr. supr. ex quib. caus. major. — 14. L. 19, supr. d. t.